

senz *ἰσορροπίας*: quam Regulam tetigit quoq; D. Caspar Fitt-  
ckius in principio Canonum Theologicorum, & longè prolixius  
atq; evidentiùs per integra duo capita *de Ἀνθρωποποιεῖα* e-  
narravit D. Salomo Glassius in Rhetoricâ sacrâ. Deus itaq;  
misericors dicitur, quòd habeat cor miserans, hoc est, ad ju-  
vandos miseros propensum, *Barmherzig* enim, juxta Kilia-  
num, dicitur à *barmen* / quod est *bearmen* / *ταλανίζειν* ἄδλιον  
*ἀποκαλεῖν*, videre & credere & judicare aliquem esse miserum  
ac proinde dignum cui subveniatur, unde fideles ac miseri in  
Scripturis sacris introducuntur à Deo postulantes, ut sese suam-  
que miseriam respiciat, consideret & accuratè contempletur,  
atq; exinde misericordia sibi & auxilium obtingat. Quò fa-  
cit quod *Julius Cesar Scaliger*, *Miseret me fortunæ tuæ, sic*  
*explicit, Vis tuæ fortunæ facit me miserum. Miseri au-*  
*tem sunt* *μωραγοὶ*, aut saltem tales judicantur, & *μισοτοὶ* odio  
& abominationi expositi & subiecti.

Ceterum juxta Aristotelem, cujus vitulâ pleriq; omnes  
arant Rhetores, libro secundo Rhetoricorum cap. ΠΧνο *Mise-*  
*ricordia* est *λύπη τις ὅτι φαινόμενον κακῶ φθαρτικῶ καὶ λυπηρῶ*  
*τῷ αἰσθητικῷ τυγχάνει ὁ καὶ αὐτὸν προσδοκῆσειεν ἂν παθεῖν, ἢ τῶν*  
*αὐτῶν τινῶν, καὶ τῶν ὅταν πλησίον φαίνῃται*, animi aegritudo,  
dolor seu molestia quædam nascens ex damno vel malo,  
quod videtur dolorem aut interitum allaturum ei, qui in-  
dignus est hâc fortunâ, ac talis ut quis sibi suisq; accidere  
posse autumat, idq; cum imminere seu impendere vide-  
tur, uti Aristotelicam definitionem reddit *Vir incomparabilis*  
*Gerardus Joannes Vossius*, eamq; conditiones quinq; invol-  
vere & comprehendere statuit, nempe (1) ut aegritudo ista,  
quam misericordiam appellitamus, ex eo exorta sit, quod ma-  
lum est vel esse videtur, quomodo *Abderitis* miserescebant *De-*  
*moacriti sui*, quòd insanire eum crederent, quem tamen & sa-  
pere & felicem vitam vivere judicabat *Medicorum princeps*  
*Hippo-*